

RECENS HABITAE. 17

De Luna, de inerrantibus Stellis, ac de Galaxia, quæ hæcenus obseruata sunt, breuiter enarrauimus. Superest vt, quod maximum in præfenti negotio existimandum videtur, quatuor PLANETAS a primo mundi exordio ad nostra vsque tempora nunquam conspectos, occasionem reperiendi, atque obseruandi, nec non ipsorum loca, atque per duos proxime menses obseruationes circa eorundem lationes, ac mutationes habitas, aperiamus, ac promulgemus: astronomos omnes conuocantes, vt ad illorum periodos inquirendas, atq; definiendas se conferant, q̄ nobis in hanc vsque diem ob temporis angustia affequi minime licuit. Illos tamen iterum monitos facimus, ne ad talem inspectionem incassum accedant, Perspicillo exactissimo opus esse, & quale in principio sermonis huius descripsimus.

Die itaque 7. Ianuarii instantis anni 1610. hora sequentis noctis prima, cum cœlestia sydera per Perspicillum spectarem, Iupiter se se obuiam fecit, cumque admodum excellens mihi parassem instrumentum, (*quod antea ob alterius Organi debilitatem minime contigerat*) tres illi adstare stellulas, exiguas quidem, veruntamen clarissimas, cognoui; quæ licet e numero inerrantium a me crederentur, non nullam tamen intulerunt admirationem, eo quod secundum exactã lineam rectam, atque Eclipticæ pararellam dispositæ videbantur: ac ceteris magnitudine paribus splendidiore: eratq; illarum inter se & ad Iouem talis constitutio.

Ori. * * O * Occ.
C ex parte